

A D O L E C T O R E M. 9

portent coronam, quam magnus ille IES^V
CHRISTI præco Iohannes, omni Christiano
militi designat, Apocal. 2. *Esto fidelis usque ad
mortem, & dabo tibi CORONAM VITÆ.*
Quando igitur Deus Zebaoth, summus exer-
cituum Dominus, & me qualemcunque seruu-
lum, inter sacros milites ad aliquod officium
sacramento obligarit; imò in speculâ hac col-
locare voluerit: de excubiis agendis sollicitus
esse non immeritò debui.

Hoc præcipuè TEMPORE mundi sene-
scentis ultimo; quo creberrimi funestissimo-
rum tumultuum rumores, animos hominum
variis infestant terroribus, *Matth. 24.* In nos e-
nim τὰ τέλη τῶν αἰώνων κειθήνησεν, *1. Cor. 2.*
hæc est nouissima hora, *1. Ioh. 2.* hi sunt dies ex-
tremi, & tempora periculosa, *2. Timoth. 3.* hi
sunt dies mali, *Ephes. 5.* Quibus Draco ille ma-
gnus eò atrocior in nos insurgit tyrannide,
quò breuius sibi superesse tempus cognouit,
Apoc. 12. Quis igitur his moribus, his tempori-
bus, Reipub. Christianæ consulere possit me-
lius; quàm si pro communi salute excubet, ac
preces ad Deum fundat? Si enim hodiè preces
& pia vota absint: *Centuplex murus rebus seruan-
dis parum est;* vt ait *Comicus.* Qua in parte pro
talenti diuinitus mihi concrediti modulo, cœ-
tui fidelium inseruire, quàm sudario id inuolu-
tum defodere, malui, *Matth. 25.*

Addo, quod ab inscriptione huius libelli;

A 5 NOMI.